

telis complectitur. *Secundam* vocat *μῆνιν*, παρὰ τὸ μένειν, quod diu maneat : quæ nihil est aliud quam ira inveterascens, et *simultas* dici potest. Hæc pertinet ad tertiam Aristotelis. Tertiam vocat *λότον*, ἀπὸ τοῦ λείσθαι, quod vindictam repositam habeat : quæ est ira observans occasionem ulciscendi ; hæc *inimicitia* vocari potest, et pertinet ad quartam Aristotelis.

Possunt supradicti modi considerari vel ut habent initium, et veluti fundamentum in naturæ dispositione ; et sic sunt passiones, quæ per se moraliter nec bonæ nec malæ sunt : vel ut proveniunt ex dispositione voluntaria, aut aliquo modo a consensu voluntatis pendent ; et sic sunt distincta peccata, habentia inordinationes specie distinctas, ut recte ostendit Cajetanus, et satis colligitur ex dictis : quod intellige de secundo, tertio, et quarto modo ; nam primus et secundus non videntur specie, sed solum secundum magis et minus distincti.

Notandum III. Iram seu iracundiam poni a Doctoribus vitium capitale ; quia ordinarie plura alia ex eo nasci consueverunt : idque duplici ratione. *Primo*, ex parte objecti, quod est vindicta, habens speciem justitiæ : ratione cujus homines multa facere consueverunt ; nam et appetitui naturali, ut est depulsio mali ; et rationali, ut habet specimen justitiæ, est valde conformis. *Secundo*, ratione illius impetus, quo mentem ad multa inordinate agenda, et ad quidvis audendum vindictæ desiderio præcipitat. Hujus vitii D. GREGORIUS L. 31. Moralium c. 31. (al. c. 43. n. 88.) recenset has sex filias : *De ira, inquit, rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemie proferuntur.* Quarum ratio, juxta D. THOMAM, sic accipi potest : Ira potest tripliciter considerari. 1º. Ut est in corde : ibi parit *indignationem* et *tumorem mentis*. *Indignatio* est, qua is, cui irascimur, contemnitur, et vilipenditur tanquam indignus a quo tale quid patiamur. *Tumor mentis* est quo seipsum irascens extollit, et alteri præfert. Facit enim ita ut is, qui offensus est, se apprehendat ut magnum, et extollat : eum vero qui offendit, ut vilem, et contemnat ; sic animalia in ira intumescunt, et se extollunt. 2º. Ut est in ore ; et sic parit *clamorem, contumeliam* et *blasphemiam*. *Clamorem*, faciendo ut vocem extollamus, multa inordinate et confuse jactantes : *contumeliam*, jactando convitia verborum in proximum, *blasphemiam* contra Deum. 3º. Ut procedit ad factum ; et sic parit *rixas*, seu *pugnas*, et quæ ex rixis sequuntur, vulnera, homicidia, etc.

168. Quod ad alterum extremum mansuetudini oppositum affinet, id proprio nomine caret ; sed dici potest *lenitudo*, vel *stupor* ; vitium non ita frequens. Aristoteles vocat *ἀοργησίαν*, quasi dicas *inirascendum*, vel iræ vacuitatem ; nimirum cum quis ita insensibilis est mali et injuriarum, ut non excitetur ad iram, quando etiam secundum rectam rationem oporteret. Est autem id signum stoliditatis, juxta Aristotelem, quia tales non videntur habere sensum mali, aut apprehendere injuriam ; quod intellige, si id a stupore quodam naturæ proveniat : secus, si philosophica consideratione, et exercitio comparatum ; ut in aliquo fortasse e. Stoica disciplina, quæ omnem iram vult exclusam, et *ἀπάθειαν* profitetur.

Hæc tamen iræ vacuitas non est per se vitiosa. Sicut enim irasci non est per se bonum : ita nec iræ motu vacare, aut esse ad irascendum stupidum, est malum. Potest tamen esse vitiosum, quatenus est causa, ut quis defectu

iræ et animositatis, prætermittat aliquod officium justitiæ, vel charitatis, ad quod erat obstrictus : ut monere, corripere, castigare, retundere contumaces, occurrere malis, etc. In quibus etiam Dominus interdum ira usus legitur ; ut Marci 3. *Circumspiciens eos cum ira* ; et Joannis 2. cum ejecit vendentes e templo. Quando enim ad tale quid obligamur, si per se friget animus, et detrectet tanquam rem arduam, excitanda est ira, quæ addat calorem et audaciam, torpore illo excusso. Ea enim est humana conditio, ut sine hujusmodi stimulo et præsidio, ad ardua exequenda vix excitemur ; nam ira est satellitium rationis ; sine satellite in Republica mala non impediuntur ; nec sine ira ratio in homine contra malum strenue insurgit : unde in ejusmodi eventis non excitare iram, est vitiosum, et contrarium mansuetudini per defectum ; mansuetudinis enim est non solum iram comprimere, sed etiam cum opus est, excitare et assumere : quamvis hoc nomen magis compressionem insinuet ; illa tamen iræ vacuitas non habet distinctam malitiam a malitia quæ est in omissione officii debiti, cujus est causa : nam solum est mala, quatenus in ea ommissio debite actionis censetur volita.

DUBITATIO V.

DE CLEMENTIA, ET CRUELITATE.

D. Thom. quæst. 157. 159.

169. Clementia est virtus mansuetudini affinis ; non tamen eadem, juxta D. THOMAM. Distinguitur enim objecto formali, et materia proxima. Mansuetudo enim proxime versatur circa iram, clementia circa vindictam exterram. Illius officium est iræ imponere moderationem, et cum recta ratione conformitatem : hujus vero diminuere, seu mitigare externam punitionem, quantum justitiæ ratio patitur. Illa pertinet non minus ad subditos et infimos quam ad superiores : hæc propria est virtus superiorum, et maxime principum.

170. *Dices* : Ejusdem virtutis est moderari affectum internum, et opus externum, ad quod ille affectus inclinabat. Eadem enim virtus temperantiæ, quæ concupiscentias voluptatum carnis refrænât, etiam usum externum temperat : et eadem fortitudinis virtus, quæ timorem et audaciam moderatur, etiam fugam et aggressionem dirigit. Similiter liberalitas, quæ divitiarum cupiditatem, etiam externam largitionem moderatur. Idem cernitur in *φιλοτιμία*, (prout est virtus circa honores mediocres occupata) magnanimitate, et magnificentia ; ergo etiam virtus illa, quæ moderatur iram, nempe mansuetudo, etiam moderabitur externam punitionem, minuendo eam consentaneæ suo affectui, ac proinde non distinguetur a clementia. Confirmatur, quia ira est cupiditas vindictæ et punitionis : at qui minuit cupiditatem vindictæ, hoc ipso etiam externam vindictam, quæ ex illa cupiditate sequitur, minuit.

Ob hoc argumentum videri posset alicui idem habitus virtutis, qui quatenus temperat iram, dicatur *mansuetudo* ; quatenus vero externam punitionem, *clementia*. Quæ sententia confirmari potest ; quia uterque, nimirum

mansuetus et clemens, videtur quærere in seipso benignitatem quamdam et suavitatem affectus in proximum, (unde etiam vocantur lenes, et habitus eorum lenitas) et ex eodem affectu operari.

171. Nihilominus placet sententia D. THOMÆ. Unde respondeo : Dupliciter fieri posse ut quis incitetur ad majorem vindictam quam conveniat.

1º. Ex impetu iræ. Et hoc modo vindictam minuit mansuetudo, ut recte probat argumentum; imminuta enim vindictæ cupiditate, sequitur imminutio vindictæ: sicuti imminuta concupiscentia delectationum, sequitur moraliter imminutio in ipsarum usu externo.

2º. Ex consideratione suæ potestatis, qua inclinatur ad intemperanter ea utendum: ita enim est humanum ingenium, ut delectetur ostentatione potestatis, et aliorum sub se depressione, et miseria. Hoc modo mitigat punitionem clementia, quæ retinet animum, ne tota potestate in vindicta inferenda utatur.

Unde patet, has virtutes diversas rationes formales spectare. *Mansuetudo* enim vindictam mitigat ne obtemperet iræ, et quia id consentaneum animo iræ dominantis: *clementia* vero, quia id consentaneum et decorum homini, potestate in alium prædito. Decet enim in malis pœnisque inferendis non uti tota potestate, sed aliquid remittere, et infra meritum punire: sicut e contrario in præmiis conferendis honestum est etiam supra merita remunerare: ut benignitas præmio aliquid adjiciat, et supplicio aliquid detrahat. Sic Deus dicitur punire citra condignum, et ultra condignum præmiare. Cum enim pœna sit malum, et præter Dei primævam institutionem, decet eam minui quantum ratio boni patitur. Et e contrario eum præmium sit bonum, et ex primo Dei instituto ac intentione, decet illud augeri quantum justa proportio et bona gubernatio permittit.

172. Ex his facile intelligas quid sit clementia. Seneca L. 2. de Clementia, capite 3. sic definit: *Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi: vel lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis.* Et infra: *Clementia, inquit, est moderatio, aliquid ex merita ac debita pœna remittens.*

Quæ definitiones idoneæ sunt, et insinuant, tria ad clementiam, ut in actum externum exire possit, requiri. 1º. Potestatem puniendi; quæ tantum reperitur in superioribus: unde hæc virtus est propria superiorum, et maxime principum, qui pœnas legibus definitas possunt mitigare. 2º. Ut mitior pœna irrogetur, quam jure irrogari posset. Est enim clementia quædam gratia et condonatio, non perfecta, (distinguitur enim a venia) sed ex parte, ita ut justitiæ vindictivæ officium non excludat, sed solum asperitatem nonnihil mitiget. 3º. Ut id proveniat ex animi lenitate; qua fit ut quis proximo benigne afficiatur, ejusque commodis faveat, incommoda abhorreat. Itaque si quis pœnam sonti mitigat inductus pecunia, vel amicitia, vel timore; non erit formale officium clementiæ: quia non ex affectu hujus virtutis, sed ex alio motivo id facit; dicitur tamen actus clementiæ, quia ratione materiæ ad hanc virtutem pertinet.

173. Adverte tamen, quibusdam eventis bono publico magis expedire severitatem quam clementiam. Est autem *severitas* inflexibilis animi rigor, nihil

de merita vel statuta pœna remittens. Hac utendum, 1º. *In militia*: hic enim omne erratum capitale est, propter publicum periculum; unde exacte disciplina servanda, ut si semel peccatum fuerit, saltem non contingat secundo, ut quidam ait, quod absque rigore fieri non potest. Accedit, quod illa hominum colluvies, nisi severitate et præfractis imperiis regi non possit. Refert in hanc sententiam nonnulla VALERIUS MAXIMUS L. 2. c. 2. et L. 6. c. 3: et Lampridius in Alexandro Severo; sed in primis memorabilis fuit severitas disciplinæ militaris in Aureliano Imperatore, quæ ita militi formidolosa erat, ut post unam castrensem animadversionem nemo sub eo deliquerit amplius. Illius epistola ad Tribunum militum, quem præsidio præfecerat, talis extat: *Si vis tribunus esse, imo si vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo attingat, uvam nullus auferat, segetem nemo deterrat: oleum, salem, ligna nemo exigat: sua quilibet sit annonæ contentus. Hostili præda, non provincialium lacrymis dilescent: arma deterga sint, calceamenta fortia: nova vestis veterem excludat; stipendium habeat in balneo, non in pompa.*

2º. In præfectos et ministros justitiæ, præsertim qui muneribus corrupti justitiam pervertunt, et jus omne venale habent. Hi enim potestate publica, qua, tanquam sacrosancta, castissime uti deberent, abutuntur ad oppressionem innocentium, et privatum compendium. Hujus severitatis præclarum exemplum refert Herodotus in Terpsichore, seu L. 5. et VALERIUS MAXIMUS L. 6. c. 3. attingit: *Otanem, inquit Herodotus, Darius rex oræ maritimæ præfecerat. Hujus patrem Sisamnem unum e regis judicibus, quod injuste ob pecuniam judicasset, rex Cambyses, qui ante Darium fuit, interemit, interemptoque detractum corium in lora conceidit, quibus tribunal, in quo ille sedens judicarat, intendit, ibidemque filium ejus Otanem sedere judicem jussit, atque in memoria habere, in quo tribunali judicaret.*

3º. Cum populi ingenium est malignum et refractarium, ita ut in officio aliter contineri nequeat. Ob hanc causam tota lex vetus, cujus ipse Deus erat auctor, et qua populum judaicum regi volebat, erat severa, et acres pœnas infligebat, ut pro adulterio, pro violatione sabbati, pro esu panis fermentati tempore paschatis, etc., pœnam mortis: quia populus iste duræ cervicis erat, ut Scriptura loquitur. Item quando crimen ex pura malitia commissum: tunc enim clementiam non meretur. Denique severitate utendum, quando id magis judicatur expediens vel ad emendationem delinquentis, vel certe ad publicam disciplinam sancendam; hic enim est finis punitionis, ac proinde mensura vindictæ hinc capienda; finis enim est mensura eorum, quæ sunt ad finem: alioquin decet ut animus ex se propensior sit ad clementiam, eamque adhibeat, quando bonum publicum, vel correctio delinquentis aliud non postulat.

174. *Clementiæ* opponuntur duo extrema, *crudelitas*, per excessum, et *nimia lenitas*, per defectum. *Crudelitas* nihil est aliud quam atrocitas animi in exigendis pœnis. Sicut enim clementia minuit pœnam quantum ratio permittit; ita crudelitas illam supra justum modum exaggerat: idque ex animi quadam asperitate, malo alterius minime compatiens.

Supponit hoc vitium in opere suo potestatem puniendi sive legitimam, sive usurpatam; nam in eo consistit quod in usu istius potestatis modus

excedatur, dum pœna major infligitur quam culpa meretur. Secundo, supponit etiam causam, nimirum injuriam quæ vindicetur, aut delictum quod puniatur. Unde SENECA L. 2. de Clementia c. 4. *Illos, inquit, crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent. Sicut in Phalari, quem aiunt, non quidem in homines innocentes, sed super humanum ac probabilem modum sævisse.*

Crudelitas enim est excessus in pœnis exigendis; pœna autem delictum vel speciem delicti supponit: ita crudelitas propriè respicit ad aliquam culpam, et præterdit speciem quamdam justitiæ.

175. *Dices:* Quidam non exigunt pœnas, crudeles tamen videntur, tanquam qui ignotos homines et obvios non in compendium, sed occidendi causa occidunt, nec interficere contenti, sæviunt, ut Busiris ille, et Procrustes, et piratæ, qui captos verberant, et in ignem vivos imponunt: ita Seneca objicit.

Respondeo cum eodem Seneca, tales non tam esse *crudeles* quam *feros*, et vitium eorum *feritatem*, cui voluptati est sævitia. Sicut enim immanes belluæ dilaniant homines, et ea re delectantur, nullam justitiæ aut rationis speciem attendentes, sed solam voluptatem pastus: ita qui non vindictæ causa (quæ aliquam justitiæ imaginem præfert) cruciatus inferunt, sed quia tormentis et sanguine humano delectantur, merito dicuntur *feri*, et sævi, utpote belluæ quam hominibus affectu et truculentia morum similiores; tales se præstant quidam hæretici in catholicos, præsertim sacerdotes, inusitatis suppliciis eos afficientes, non ut puniant aut vindicent aliquam injuriam (quæ enim injuria est, antiquam religionem toto orbe diffusam, et tot seculis florentem colere?), sed ut animum tormentis et sanguine eorum expleant. Latronum sævitia, qui propter compendium homines torquent et occidunt, magis ad feritatem, quam ad crudelitatem referenda est: quia non vindictæ aut punitionis causa id faciunt, sed sui commodi, sicuti immanes feræ, quæ ob pastum occidunt.

176. Alterum extremum clementiæ oppositum est *nimia lenitas*. Hæc inconsulte pœnam mitigat, vel omnino remittit, etiam cum bonum delinquentis et exemplum aliorum aliud requirit: vitium non minus Rēipublicæ perniciosum quam crudelitas. Inde enim criminosi, et turbatores pacis publicæ invalescunt; vulgo tamen *clementia* vocatur, cum potius crudelitas sit in Rēipublicam quam clementia in privatos. Provenit hoc vitium ex nimia alieni mali compassione; cum fortuna et calamitas quam patitur, non causa spectatur: hanc Seneca vocat *misericiordiam*, nomine non satis in eum sensum, præterquam apud Stoicos, usitato. Potest etiam provenire ex naturæ quadam lentitudine et stupore, culpæ magnitudinem non percipiente, de quo supra dubit. 4.; denique ex amore alicujus commodi vel timore incommodi, ut cum judex muneribus corruptus, vel metu officii amittendi impulsus sontibus parcit, quamvis hic non tam sit vitium nimie lenitatis, quam avaritiæ vel ambitionis.

DUBITATIO VI.

QUID MODESTIA ET QUÆ EJUS SPECIES.

D. Thom. quæst. 160.

177. Modestus vocari solet, qui intra modum et limites sui status, ingenii, et fortunæ se continet, suo modulo contentus. Unde *modestia* est virtus qua quis hanc mediocritatem in se amat et præstat, motus suos internos et externos, et omnem rerum suarum apparatus, intra mensuram sibi congruam coerens. Hinc patet, modestiam esse affinem et annexam temperantiæ. Sicut enim temperantia moderationem adhibet in iis in quibus difficillimum est adhibere, nimirum in delectationibus tactus: ita modestia in aliis quibusdam modum ponit, ubi id minus quidem est difficile, tamen ad recte præstandum opus est virtute. D. THOMAS hujus virtutis quatuor statuit species: *humilitatem, studiositatem, modestiam motuum exteriorum, et modestiam externi apparatus*. Moderatis enim delectationibus carnis per *temperantiam*, et impetu iræ per *mansuetudinem*, quatuor supererant, quæ potissimum moderatione quadam, et intra certos limites restrictione egere videbantur; inter quæ primum est, motus animi ad excelsa, ad quem coerendum est *humilitas*. Secundum, nimium desiderium cognitionis, præsertim curiosæ: hoc refrænât *studiositas*. Tertium, motus et gestus externi corporis: hos componit *modestia morum*. Quartum, externus cultus et apparatus in vestibus, convivii, suppellectili: hunc moderatur alia quædam modestiæ species, quæ *modestia cultus* dici potest.

DUBITATIO VII.

QUID SIT HUMILITAS, ET QUOD EJUS OFFICIUM.

D. Thom. quæst. 161.

178. Humilitas ab humo dicitur, quia per illam ad ima, et veluti ad humum usque deprimimur. Dupliciter autem id fieri potest. 1º. Si contra voluntatem ab alio depressus sit; et hoc modo humilitas est pœna: sicque dictum est, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur*. 2º. Si quis sua sponte ex consideratione suorum defectuum se deprimat; et hoc modo est virtus; quæ variis modis definiiri potest. D. THOM. art. 1. ad 1. *Humilitas, inquit, est virtus, qua quis defectum suum considerans, se in infimis secundum modum suum continet*. Idem ad 2. *Est laudabilis sui ad ima dejectio*. Joannes Rusbrochius L. de præcipuis virt. c. 1. *Humilitas est animi demissio, id est, interna quædam et profunda cordis et animi coram celsissima Dei majestate inclinatio et submitio*. Aptissime D. BERNARDUS L. de gradibus humilitatis, in principio: *Humilitas est virtus, qua quis verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit*.

Ex quibus patet, humilitatem supponere cognitionem sui, id est, suæ imperfectionis, sui que defectus. Hæc *sui cognitio* comparatur, dum quis se coram Deo et Angelis constituens, considerat qualis sit tum animo, tum coram

pore : quam ignorans, quam ad malum pronus, ad bonum lentus et infirmus, quam rebus infimis addictus, quam levis et instabilis : quantis peccatis obnoxius, quantis miseriis subjectus, quam in Deum ingratus : præterea se ex se nihil boni habere, nihil posse, nihil esse : sua omnia assidue a divina bonitate pendere, sicut imago in speculo pendet ab objecto, sicut pondus suspensum in aere a manu tenentis ; sicut lumen a sole, et sicut umbra a corpore : denique sine assiduo Dei influxu se in nihilum ruere.

Dixi, coram Deo hanc considerationem faciendam ; quia ad illud lumen veritatis constitutus homo, seipsum et sine dissimulatione inspicit, et sine palpatione dijudicat, ut inquit D. BERNARDUS serm. 42. in Cantica. n. 6. Sicut, ut quis nævos omnes sui corporis perspectos habeat, seipsum soli exponit, ut in ejus lumine omnia detegantur.

179. Hac cognitione posita in intellectu, sequuntur in voluntate multi affectus et motus, qui sunt humilitatis actus et functiones. 1^o. Vilipensio et contemptus sui, per quem se, quoad ea quæ ex seipso habet, nihil æstimet.

2^o. Reputat se omnibus Deidoni indignum, et ad omnia ineptum : idque sine falsitate, ut docet D. THOMAS art. 6. ad 1. talis enim revera est secundum ea, quæ ex seipso habet.

3^o. Hinc sequitur, ut veritatis amore impulsus, non cupiat ab aliis magni æstimari, honorari, vel laudari ; quia videt id sibi non congruere, sed ei a quo omne bonum accepit. Unde cum Apostolo dicit : *Regi seculorum immortalis et invisibili, soli Deo honor et gloria*. Non enim imago vel pictura laudem meretur, sed pictor : nec olla, sed plastes.

4^o. Quantum in ipso est, desiderat etiam vilis haberi, et ab aliis contemni. Talem enim cupit se ab aliis judicari et æstimari, qualem se veritatis sententia, et in oculis Dei novit esse. Unde D. BERNARDUS serm. 16. in Cantica n. 10. *Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari : gaudet contemptu sui, hoc solo sane superbus, quod laudes contemnit*. Dixi, quantum in ipso est ; quia non semper expedit ut alii nostros defectus noverint, aut nihili nos æstiment ; propter ædificationem, et fructum aliorum : ut D. BERNARDUS serm. 42. n. 6. in Cantica notat.

5^o. Cum videt se magni fieri vel honorari, dolet, nec illum honorem in animo sibi attrahit, imo nec admittit, nisi forte ratione officii aut doni, quod habet ; et ita illum in Deum, saltem implicite, refert.

6^o. Conferendo se aliis, censet se omnibus viliores et deteriores : considerat enim se juxta ea, quæ ex seipso habet ; alios vero secundum ea, quæ ipsi ex Deo, et sic illos sibi præponit ; ut bene D. THOMAS art. 3. declarat. Hoc enim est ingenium humilitatis, in se intueri sua mala, in aliis, eorum bona. Sicut e contrario superbiæ indoles est, intendere in sua bona, et in aliorum mala. Quisque autem secundum sua est deterior quam sunt alii secundum ea quæ sunt Dei ; ut bene docet ANSELMUS L. de Similitudinibus cap. 109. et D. THOMAS art. 6. ad 1. et Cajetanus ibidem contra Martinum.

7^o. Subjicit se Deo veluti infimum mancipium, vel potius, sicut testa figulo, et opus suo factori, ut de se disponat pro suo beneplacito in omnibus, præsertim quæ ad hanc vitam pertinent ; verbi gratia, quod ad paupertatem vel divitias, sanitatem vel morbum, infamiam vel gloriam, mortem vel vitam

attinet. Unde 1. Petri 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis*.

8^o. Subjicit se hominibus propter Deum ; sinens se ab illis tanquam instrumentis Dei gubernari. Unde 1. PETRI 2. *Subjecti estote omni humane creature propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti, etc.*

9^o. Denique in externis rebus et functionibus, quantum in se est, amplectitur semper id quod est abjectius et minus honoratum, v. g. locum inferiorem in consessibus, latus sinistrum in congressibus, socios simpliciores, officia vulgo minus honorata, vestes, supellectilem, etc. In usu tamen externo debet habere rationem decoris et officii, quod gerit, ut ante dictum est. Hæ sunt actiones humilitatis, et hoc fere ordine ad ipsam virtutem comparantur, ab eaque procedunt.

180. Dices 1^o. Humilitatis est cohibere affectum, ne feratur ad excelsa supra conditionem et proportionem hominis : atqui idem præstat magnanimitas ; ergo non videtur distingui a magnanimitate.

Ob hoc argumentum Martinus ponit humilitatem virtutem reipsa non discrepantem a magnanimitate ; sed fallitur, ut recte ostendit Cajetanus. Primo, quia virtutes ex principalibus functionibus suis distinguendæ sunt : atqui principalis functio *magnanimitatis* est, non coercere affectum, sed impellere ad ardua et magna, quibus homo est dignus ; secundo autem retrahit ab his, quæ dignitatem ipsius superant. *Humilitatis* autem primarium munus est non impellere, sed retrahere animum inordinate ad excelsa tendentem, et intra suam mensuram coercere, ut iis, quæ hominis vilitati congruunt, acquiescat. Itaque hæ virtutes contrario modo procedunt ; magnanimitas impellendo ad ardua, quæ sua difficultate animum absterrent, et desperationem injiciunt : humilitas retrahendo a magnis, quæ splendore et excellentia sua animum alliciunt. Itaque ad quod magnanimitas affectum impellit, ab eo humilitas retrahit, licet sub diversa ratione. Deinde etiamsi magnanimitas secundo a quibusdam animum retrahat, a quibus retrahit etiam humilitas, sub alia tamen ratione formali id facit. Illa enim retrahit animum a quibusdam excelsis, quatenus superant proportionem, quam habet homo ad illa ex parte donorum Dei (non enim vult magnanimus majora quam ipsi ratione donorum, quibus præditus est, congruant) : hæc vero retrahit animum ab omnibus excelsis, quatenus superant proportionem, quam habet homo ex parte sui. Ratio itaque coercendi et retrahendi animi est diversa, nimirum excessus objecti respectu ejus, quod homo habet a Deo : et excessus objecti respectu ejus, quod homo habet ex seipso. Hunc respicit humilitas, illum magnanimitas. Vide Cajetanum art. 1. ad 2.

Dices 2^o. Si humilitas coercet affectum ne feratur ad aliquid, quod est supra proportionem et mensuram hominis, quam ex seipso habet ; ergo non permittet hominem quidquam magni agere, conari vel appetere : quia omne bonum superat hanc proportionem, ac proinde impedit præcipuam functionem magnanimitatis.

R. Non posse hominem quidquam appetere, vel conari, tanquam ipse per ea quæ præcise ex se habet, eo sit dignus, aut illud possit efficere : potest tamen, quatenus per id quod accepit a Deo, sufficientem ad illud proportionem habet. Hinc fit ut is, qui ex se est humillimus, ex dono Dei sit summe

magnanimus. Etsi enim ex se nihil possit, nulloque bono aut honore dignus sit; tamen ex dono et auxilio Dei plurima potest (juxta illud Apostoli: *Omnia possum in eo, qui me confortat*) et maximis bonis, honoribusque dignus est, et se dignum judicat. Declarat hoc GREGORIUS L. 6. in 1. Regum cap. 3. explicans illa verba cap. 16. *Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves. Merito, inquit, parvulus iste dicitur oves pascere; quia electus quisque humilis est, et sterilis non est, qui quotidie magna agit, sed de se magna non sentit. Merito ergo non solum parvulus, sed pastor asseritur; quia qui vere humiles sunt, foris se dejiciunt, sed per internam societatem in summis et aeternis pascuis immorantur; nam scriptum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Quae autem gratia, nisi ut summa videant et cognoscant, cognoscant et diligant, atque ad ipsa delecta quasi fortes et pingues currant.* Idem cernitur in omnibus beatis; sunt enim et ex se humillimi, et ex donis Dei summe magnanimi. Imo nulli sunt magis magnanimi quam illi qui vere sunt humiles. Cum enim non suis viribus, sed Dei tantum auxilio, cui se penitus subiecere, nitantur, ejusque omnipotentiam et bonitatem assidue cogitent; nihil est quod hac ratione illis impossibile aut valde arduum appareat; ac proinde etiam quidvis aggredi, cum honor Dei postulat, non dubitant. Exemplo nobis sunt maximi quique Sanctorum, et in primis Apostoli, qui stupenda, Deo confisi, sunt aggressi, et perfecerunt. Itaque humilitas non reddit segnem, aut timidum, aut pusillanimum, sed ad veram animi magnitudinem disponit; mundi magnanimitas, quia suis viribus nititur, superbia potius est, quam magnanimitas.

181. Ex dictis colligi potest 1°. Fundamentum humilitatis esse notitiam sui, quae, ut sit perfecta, postulat etiam cognitionem Dei: unde fit ut conjunctissimae sint humilitas et charitas; sicut cognitio sui et cognitio Dei non possunt a se invicem separari: humilitas enim sequitur cognitionem sui, charitas cognitionem Dei. Itaque recte dictum a D. AUGUSTINO: *Noverim te, noverim me; ut amem te, et contemnam me.*

2°. Hanc virtutem esse non in intellectu, sed in voluntate. Inclinat enim voluntatem ut se intra mensuram sui suppositi contineat, nec ad aliquid per motum spei vel desiderii supra illam feratur.

3°. Objectum hujus virtutis esse id, quod congruit nostrae vilitati; hoc enim est quod per humilitatem et interius appetitur, et exterius agitur.

Dices: Hoc non esse appetibile; esse enim vile vel probrosum, non est bonum neque laudabile, ac proinde non potest esse objectum virtutis; quod debet esse honestum et honore dignum. Haec res non videtur satis a Doctoribus explicata.

Respondeo, id quod vile est, non esse quidem per se expetendum, aut honestum; posse tamen sub alia consideratione, honesti rationem induere. *Primo*, si spectetur ut est congruens nostrae conditioni: honestum enim est amplecti sibi congruentia. In hac tamen congruentia non consistit totum bonum et honestum humilitatis: non enim per se est magnae laudis vilem vilia amplecti, quod haec ipsi congruant. Itaque adhuc ulterior ratio formalis requiritur, respectu cujus prior illa se habeat instar fundamenti quasi materialiter. *Secundo* igitur, id quod vile est, seu amplecti vilia, potest honesti rationem induere, ut est professio quaedam seu testificatio nostri nihili, qua

profitemur nos ex nobis nihil boni habere, nihil posse, nihil esse; et consequenter omne bonum nostrum esse ex Deo, ad ipsum veluti auctorem omnia referenda, in ipsum omnem laudem et honorem, qui nobis tribuitur, refundendum. Hoc ipso enim quod nostram vilitatem profitemur, tacite etiam significamus omne bonum nostrum Deo assignandum. Sub hac igitur ratione vilia et probrosa sunt objectum humilitatis, quatenus nimirum per illa nostram sortem, et tacite divinam in nos benignitatem testamur: quod sane honestum est, et valde laudabile; tum quia est professio veritatis, maxime in vita necessariae, juxta illud, *Nosce teipsum*: tum quia id redundat in honorem Dei, ut dictum est.

4°. Hinc patet, humilitatem sic recte definiri: *Humilitas est virtus inclinans nos ad nostram vilitatem signis vel factis profitendam. Signis* sive internis, sive externis; ut locutione spiritali, vel corporali submissione corporis, prostratione humi, genuflexione, etc. *Factis*, ut humilibus obsequiis, humili loco, humili sodalicio, etc.

Nec obstat, quod humilitas non solum inclinet in hanc professionem, ut procedit ab ipsius supposito, sed etiam amet illam ut procedit ab alio, et aversetur quod illi est contrarium (humilis enim non solum se ipse vilipendit, et variis modis suam vilitatem testatur; sed etiam gaudet et amat contemni ab aliis, et laudari dolet); hoc, inquam, non obstat: quia virtus bonum sui objecti amat non solum in suo supposito, sed etiam in quovis alio, et ubicumque illud invenerit, quamvis primario in illud inclinet, ut a proprio subjecto procedit.

Juxta hanc definitionem facile est omnes supradictos actus humilitati assignare, et ostendere quomodo ab ea procedant; in omnibus enim illis est professio suae vilitatis, vel certe inclinatio et amor in illam, juxta modum nunc explicatum.

5°. Colligitur humilitatem esse virtutem valde excellentem. *Primo*, quia inclinat ad subjiciendum nos Deo in omnibus, et nostris Superioribus tanquam Dei instrumentis. Cum enim inclinet generatim ad omnia, quibus nostram vilitatem testamur, maxime inclinat in hanc subjectionem, per quam universaliter nostrum gradum profitemur. Hoc modo intelligendus est D. THOMAS articulo 5. cum excellentiam humilitatis in eo constituit, *quod ordinationi justitiae legalis faciat hominem bene subjectum in universali quantum ad omnia; cum quaelibet alia virtus moralis id faciat solum quantum ad aliquam materiam specialem. Secundo*, quia, ut dictum est, eo ipso, quod profitemur nostram vilitatem, et nihil boni nos habere ex nobis, implicite testamur omne bonum nostrum esse a Deo; et ita Deum honoramus.

Itaque humilitas inclinat ad quosdam actus, qui tacitam continent religionem, cum implicite Deum honorent, etsi non ex formali affectu religionis procedant: sicut enim actus religionis primario et formaliter continent professionem divinae excellentiae, secundario vero et quasi materialiter professionem nostrae vilitatis, et, ut ita dixerim, infirmitatis; ita e contrario praecipuus actus humilitatis (qui est vilipensio sui et veluti annihilatio coram divina majestate) continet formaliter et primario professionem nostrae vilitatis; secundario vero et ex consequenti, professionem divinae excellentiae. *Tertio*, denique signum excellentiae virtutis hujus est, quod Philosophi eam non agnoverint. Non enim intellexerunt, nisi forte per-